

# **Johannes Fabricius Montanus**

*Historica Johannis Fabritii Montani oratio,  
qua et vita reverendi in Christo Patris  
Conradi Pellicani,  
et brevis temporis illius res continentur*  
**[1556]**

**Marburg, Kezelius, 1608**

72  
17

HISTORICA  
**JOHANNIS  
FABRICII MON-  
TANI**

ORATIO

QUA ET VITA REVEREN-  
DI IN CHRISTO PATRIS CONRA-  
DI PELLICANI, & brevis temporis illius res  
continentur: nunc primum in lucem  
edita.

*Præfixa est funebris Ode in mortem Nobilis summiq; viri,  
Dn. GUILIELMI STUCKII, &c.*

per

**RAPHAELEM EGLINUM ICO-  
NIUM,**

S. Theologiae Doctorem & Professore in inclyta  
Academia Marpurgensi,  
CIS ID CVIII.



MARPURGI

E Typographia Guolgangi Kezelii.

M. DC. VIII.

*Ampliss. Sm. Praefecto J. Ulrico Wolfpino,  
Egliny*

nandum, sine suo periculo, aliena ire oppugnatum  
bona. Sed tamen Pellicanus noster maturè satis in-  
tellexit, id vitæ genus Deo placere non posse, quod  
à charitate tantopere dissideret: quid enim (dicite,  
per Deum) charitati tam est adversum, quàm sub  
religionis prætextu, alienum diripere & panem, &  
penum? Ne quis verò eum libidinis, aut amoris  
impotentia, ad eam religionem se contulisse, ca-  
lumnietur, quæ à mulierum consuetudine nõ mul-  
tum abhorret, dicam hoc loco, quæ mihi satis ido-  
neis testibus comperita sunt & explorata. Pellica-  
nus noster vitæ suæ quadraginta ipsos annos, iam  
complerat, quæ ætas ceu numeris suis absoluta, in-  
tegra solidaq; censetur, cum unanimi Monacho-  
rum suorum consensu, qui tum Moguntia frequen-  
tes convenerant, ei provincia decreta est commo-  
da mehercle, & neutiquam aspernanda, si animus  
ejus ad voluptates potius, quàm pietatem inclina-  
set. Hæc erat cura visendarum sororum (Moniales  
vulgo & nonnas appellant) quæ religioni devotæ,  
per utramq; Sueviam, inferiorem dico & superio-  
rem, passim dispersæ, domos, frequentabant circi-  
ter sexaginta. Hæc illi conditio, præter expectati-  
onem & voluntatem obvenit, quam plures tamen  
alii cupide ambiabant, quibus utiq; puellarum ista-  
rum pudicitia non erat incognita: Ipse tamen tan-  
topere averfatus est, ut nullis suorum preci-  
bus nullis argumentis ad eam induci impellive  
potuerit. Eum ergo, qui viribus adhuc in-  
tegris sponte bellum cum voluptatibus suscepit,  
verisimili-

verisimile non est, vergente jam ætate, ultro in eorum castra concedere voluisse. Quod verò postea, cum legitimiæ hori consortæ, Anna (inquã) Frisia, honestissima & lectissima fœmina, Johannis Frisii optimi & doctissimi viri germana sorore, quod reliquum vitæ fuit, castè placidèq; transegit, id vestris consiliis effectum est, (patres) qui facillè providebatis cum si liberos aliquando genuisset, habiturum, in quorum humeris, senectutis onus ex parte deponeret. Hæc vos providentiã neutiquam fefellit. Eum namq; filium genuit Samuelem dico in cuius pietate & officiis, suaviter jam senex conquevit, ex quo & avus factus nepotes & neptes vivus dinumeravit.

At non causæ bonitatem (dicat aliquis) sed gloriam, sed honorem sequuntur, æquo & honesto prætulit utilitatem. Deum immortalem. quam laudem? quam gloriam is venaretur? qui ut probè noñis ipsi, in omni vita sua, procul ab omni, non dico ambitione, sed ambitionis quoq; abfuit suspitione. Et tamen in tanta viri modestia, virtus ejus tam longè lateq; enituit, ut splendoris sui radiis se ipsam mirifice illustrarit, multorum præterea voluntates, ad colendum eum observandumq; singulariter inflammavit. Sed gloria tamen, quam Cicero definit, quod sit bonorum virorum consensus, de virtute aliqua præstanti rectè judicantium, ut non impensus aff. ctanda sit; ita non in universum tamè est asperanda aut repudianda. Non enim quem admodum malevolorum obtreccationes; sic bonorū quoq;